



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 47. Quis sit modus perfecti amoris

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

fundit in Deum quem amat, fitque ex ipso & anima unus spiritus, una voluntas, sicut dicit Scriptura: *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4. 16. Ab hac unione verum gaudium procedit, quo anima ineffabili jucunditate perfruitur, bonum illud possidens quod amat; atque illi ejusque mandatis, ac nutibus firmiter adhæret: quia ab ipso, per ipsum, & in ipso omnia sunt quæ possunt desiderari. Hoc autem indicio cognoscet homo se Deo adhærere, & unitum esse, cum omne ipsius studium, omne desiderium, omnis conatus, quicquid sperat, quicquid videt, quicquid loquitur, quicquid intelligit, Deus est.

§ XLVII. *Quis sit modus perfecti amoris.*

INnatum est omnibus hominibus sciendi desiderium, & quo plura quisque cognoscit, eo amplius scientiæ appetitus crescit: cumque ad illud fastigium pervenerit, ut se omnia scire, atque altissima de Deo se percepisse arbitretur: summâ lætitiâ, & voluptate perfunditur, & scientiam amat tamquam rem optimam, quæ tantæ lætitiæ causa est: atque inde fit, ut ipsam cognitionem magis amet, quàm illud quod cognoscit. Sic Philosophi, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, seipsos suamque scientiam amantes, non Deum. Simili modo inter Christianos multi sunt qui scientiam de Deo, ejusque amorem pluris æstimant, & magis amant, quàm ipsum Deum, & ejus beneplacitum. Difficile quidem est speculum affabrè factum intueri, quin homo seipsum in eo videat: sed cum Deum quasi speculum lucidissimum contemplamur, licèt fieri nequeat quin & nos ipsos in illo, qui videt omnia, videamus; in amore tamen divinæ pulchritudinis & bonitatis persistendum est, nullâ habitâ ratione ipsius visionis & delectationis, quæ ex eâ emanat. Alioquin nos ipsos amamus, cum maximè credimus Deum amare. Deus spiritus est, & actus purissimus, ipsumque oportet

in spiritu & veritate adorare, & diligere; quod tunc rectè & purè fit, cum ipsum singulariter diligimus propter se, suamque summam bonitatem, nullo modo ad nos ipsos, nostraque commoda & delectationem respicientes.

§. XLVIII. *Scientiam practicam & experimentalem magis conferre ad honorem, quàm speculativam.*

Sicut rusticus omnis doctrinæ & literarum experts, qui solem quotidie cernit, ejusque luce & calore fruitur, lumen intensius diligit, quàm cæcus multa scientia præditus, qui de luce ejusque causis & effectibus plura didicerit ex placitis Philosophorum: ita Deum magis diligit simplex & pius homo ex cognitione practica fidei, quàm subtilissimus Theologus ex sola speculatione. Sicut etiam vir doctus & eruditus in regione septentrionali, in qua nullæ sunt vites & nemo vinum bibit, de vineæ cultura, deque vini potu, ejusque effectibus & proprietatibus copiosè poterit & acutè differere: sed quia vinum nunquam gustavit, practicè nesciet quid sit vinum, quomodo laticifcet cor hominis, quomodo inebriet; nec eam vini notitiam aliquando assequetur, quam rusticanus vinitor habet, qui vinum quotidie bibit: ita planè contingit, ut aliquis de plebe, qui nec legere quidem noverit, aliùs de Deo rebusque divinis scientiâ experimentali loquatur, quam vir magni nominis, qui totum vitæ suæ tempus in studiis Theologicis consumpserit. Experientia siquidem speculationem, amor scientiam excedit; multoque faciliùs pervenitur ad Deum affectu, quàm cognitione. Omnes igitur animæ vires affectui potiùs & orationi, quam doctrinæ applicare oportet, si ardentissimum Dei amorem citiùs consequi desideramus. Amore potiùs quàm scientiâ sublimiorem Dei notitiam comparamus, quia amor ipse notitia est & amando vehementiùs in contemplatione defigimur, per quam clariùs atque splendidius eum intuemur. Ipsum amando minus laboramus, illi magis obsequimur; nam cognitio quam de illo consequi pos-